TRACT 5

ERHARDI REVSCHII
DISQVISITIO
DE
M. T. CICERONIS PARTITIONIBVS ORATORIIS.

ADIVNCTA EST
ORATIO
QVA
VETERVM ELOQVENTIA,
HVIVSQVE
ADDISCENDAE RATIO,
AB
IISDEM DICENDI MAGISTRIS TRADITA,
COMMENDATVR.

HELMAESTADII,
Ex Officina PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
Acad. Typogr.
Anno cIↃIↃccXXIII.

ILLVSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMISQVE

VIRIS
ANDREAE GOTTLIEB
A BERNSTORF

DYNASTAE CLIENTELARVM BERNSTORF,
VEHDENDORF ET REL.
S. REGIAE MAGNAE BRITANNIAE MAIESTATIS
ATQVE
ELECTORIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS
IN TERRIS IPSIVS GERMANICIS
PRIMO ADMINISTRO,

ET

VRBANO DIETERICO
A LVEDEKE,

DYNASTAE CLIENTELAE
NIEDERNSIKTE,
SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIVM
ET LVNEBVRGENSIVM
PRIMO STATVS MINISTRO,
CANCELLARIO ET CONSISTORII
DIRECTORI,

MAECENATIBVS DEMISSE COLENDIS,

VITAM LONGAM, SANAM, FELICEM
PRECATVR
ERHARDVS REVSCH.

OFfero *VOBIS*, *VIRI ILLVSTRISSIMI EXCELLENTISSIMIQVE*, *primum, quod in illuſtri Academia Iulia natum eſt, dictionis, fortaſſe neque perfectae ſatis, neque perpolitae, ſpecimen, quod* *VOBIS* *potius, quam alteri cuiquam, a me multis nominibus deberi, intelligo. Vt enim auguſtus Britanniarum Rex,* GEORGIVS, *itemque potentiſſimus* Guelphorum Dux, *AVGVSTVS VVILHELMVS*, *Principes pii, juſti, felices, Iuliae ſuae Nutricii longe indulgentiſſimi, benigniſſimi, qui optimarum artium cultores, ubicunque terrarum agant, munificentiſſime fovent, de mea bene de re literaria merendi voluntate non male ſentirent, Veſtra potiſſimum auctoritate inducti ſunt. Indeque factum eſt, ut nuper admodum, quam nunc ſuſtineo, docendi provinciam mihi clementiſſime committerent, qui dicendi artem, ſane praeſtantiſſimam, profiterer, bonasque juvenum mentes ad orationis*

nis cultum et liberalioris doctrinae ſtudia informarem. Pietas itaque et mentis gratae memoria admonet, ut, quod jure quodam Veſtro a me repoſcitis, et Veſtrae erga me benignitatis, tot argumentis exploratae, et meae erga Vos obſervantiae demiſſae monumentum publice exſtaret. Accedit mirabilis illa Veſtra et inuſitata comitas, atque perſpectiſſima gratia, qua tum patriam, tum bonos omnes, complecti dignamini. Nam cum praeclara quotidie opera, eademque et multitudine infinita, et ſapientia immenſa, pro patriae ſalute ſuſcipiatis; eorum laudes immortales grata praedicabit poſteritas, quum incredibilem civium amorem, in quo ſolo conquieſcitis, et exterorum admirationem jam tum noſtris temporibus excitaſſe conſtet. Quibus tandem laudum praeconiis in caelum usque extollet teſtatam eam curam, quam occupationum et negotiorum graviſſimorum mole paene obruti, tamen

inde-

indefessi, exemplo nostra aetate inaudito, agitis, ut artium disciplinarumque mysteria quam castissime tradantur venturi saeculi progeniei? persuasi, ita demum futurum, ut, quod unice speramus ac vovemus, posteri quoque habeant rempublicam, quae fortunata sit, felix et beata. Quapropter usu diuturno et experientia edocti, bene ac sapienter judicatis, quemadmodum artibus honestissimis in republica, sua constat utilitas, suum pretium; ita longe maximam esse praestantiam eloquentiae, quae una reliquas omnes illuminat, quarum simul opes, dum suas promit et explicat, humano generi commendabiliores offert, quaeque alii ob asperitatem detestantur et fugiunt, sua suavitate ita contemperat, ut vel inviti in animos demittant monita salutaria, et dicto audientes se praebeant. Politissimis istis humanitatis ac literarum reconditarum studiis quum, praeter ceteros, egregie instructos atque ornatos

mi-

mirentur ſummi et infimi, ad Vos *praecipue,* Maximi Maecenates, *recta contendere debebat hoc qualecunque dictionis experimentum, quod illuſtriſſimis Veſtris Nominibus eo majori fiducia conſecro, et in clientelam trado, partim ut Veſtris auſpiciis charius appareat et acceptius, partim ut teſtis ſit apud* Vos *memoris animi, et pignus perpetuae meae venerationis grataeque voluntatis. Neque ulla animo dubitationis ſuſpicio reſidet, quin faciles aditus, quos pro humanitate,* Vobis *propria, mihi prolixiſſime conceſſiſtis, his quoque literulis indulgeatis. Quod ſupereſt,* Deum *O.M. curatis precibus veneror, ut diutiſſime et feliciſſime vivendo longe ſuperetis gloriam, quam in orbe terrarum prolixa in omnes gratiae ac benevolentiae ſignificatio, et virtus tantis heroibus digna,* Vobis *conciliavit. Valete,* Maecenates optimi. Deus Vos *ſalvos atque incolumes usque conſervet. Helmaeſtadii, m. Nov. MDCCXXIII.*

ERHARDI REVSCHI
DISQVISITIO
DE
M. T. CICERONIS PARTITIONIBVS ORATORIIS.
AD
HVMANITATIS MELIORVMQVE
LITERARVM
IN ACADEMIA IVLIA
CVLTORES.





Rti doctrinaeque dicendi *maxima incrementa fuiſſe a M. Cicerone, quanquam longe meliore oratore, quam rhetore,* non inconvenienter judicat Ger. Io. Vossivs *de conſtit. rhetor.* c. 13. Is enim non modo Plotium, M. Catonem Cenſorium, M. Antonium, et ſi qui praeterea inter Latinos hanc artem literis ante ipſum mandavere, longo intervallo poſt ſe reliquit; ſed et praeſtantiſſimis Graecorum ſe aequiparavit. Nam cum diſſentirent inter ſe veteres in tradenda nobiliſſima hac diſciplina; in ea rerum difficultate Tullius lucem eidem affudit, multa, quae illam mirifice adjuvant et illuſtrant, perſcripſit, eandemque, obſcuram alias, adeo clare, perſpicue, ſolide declaravit, ut jure dubites, utrum a quoquam facta ſit illuſtrior. Videri quidem poſſet, Voſſium poenituiſſe elogii, et de eodem quid de-

 tractum

tractum velle, dum *longe meliorem oratorem fuisse, quam rhetorem*, perhibet. Sed cave, haec verba ad contemptum Tullii pertinere existimes. Nunquam certe me adduci patior, ut credam, Vossium extenuare verbis voluisse, quae sunt praestantissima. Nollem enim insimulare virum, acri judicio multaque rerum cognitione praeditum, non modo non cohaerentia inter se dixisse, sed maxime disjuncta atque contraria. Eam potius mentem viri eruditissimi, eum sensum esse verborum, mihi persuadeo: Ciceronem, qui perfectissimus sit rhetor, dicendo tamen se ipsum superasse, et oratorem fuisse se ipso meliorem. Nec dubito, quin in animo habuerit, quod redargueret, Carneadis effatum, qui apud nostrum *lib. I. de orat.* temere satis asseruit, *neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse.* Nisi itaque jam aliunde compertum haberemus, qua artis praestantia enituerit Cicero; nunc saltem, Vossii judicio, liquido constaret, optimis eum rhetoribus annumerandum esse. Ex libris, quorum plurimis huic arti adjumentum subministravit, PARTITIONES ORATORIAS ab omnibus laudari animadverto; de quo libello utilissimo pleraque, quae generatim de eo et universe dici possunt, hoc loco colligam, ut ad ejus lectionem scriptio haec viam et aditum parare queat.

Tullium partitionum oratoriarum esse auctorem, nemo adhuc inficias ire sustinuit, praeter ANGELVM DECEMBRIVM, qui *lib. I. de politia literaria part.* 10, illas Ciceroni, levi conjectura adductus,

ctus, abjudicare conatur, eo quod nullam earum mentionem fecerit in reliquis, quae ad nos devenere, ſcriptis ſuis. Verba Angeli hic legiſſe juvabit: eſt enim liber Auguſtae Vindelicorum apud Henricum Steynerum a. 1541. fol. typis excuſus, et Baſileae 1562. f. 8. recuſus, in paucorum manibus: *Idem de partitionibus rhetoricis ad filium, ut arbitramini, a me dictum intelligatis, quod opus eſt diſſimulatoris ſpeciem prae ſe ferentis: eſt enim apud Tullium ingenioſa quaedam, nec reprehendenda, ſui ipſius gloriandi conſuetudo, ut in ſingulis fere ejus operibus, aliorum, quae ſcripſerit, mentio ſentiatur, qua paene omnia cognoſcimus, quae ab ipſo ſunt edita.* Temerarium certe videtur, ob hanc ſolam ratiunculam iſti libro ingenuitatis jura disputare velle. Sunt enim alii adhuc libri Ciceronis, qui ſuum inter genuinos locum tuentur, licet illorum mentionem alibi non fecerit. Sed quia neminem invenit ſubſcriptorem adprobatoremque ſententiae ſuae; non eſt, cur de ea convellenda, aut de rationibus conquirendis, quibus Ciceronis foetum eſſe adſeritur, amplius ſoliciti ſimus, maxime cum acerrimi librorum aeſtimatores, et emunctae naris arbitri, ſtylum Ciceronianum in eo agnoſcant.

Quo aetatis anno perſcriptae fuerint partitiones? pro certo definiri non poteſt. IOANNI STVRMIO, celebri Argentinenſis Academiae rectori, *qui Grajae*

librariae unus inſtar atque Romanae eſt
Ciceroniano Sturmius potens ore,

credibile videtur, eum poſt C. Caeſaris victoriam,

profligatis Pompejanis, cum Cicero a reipublicae negotiis ſe abduceret, doctrinaeque ſtudio et inſtituendae juventuti operam impendere ſuam, eamque docere coepiſſet dicendi artem, has etiam artis partitiones compoſuiſſe. In haec ergo tempora ut paulo curatius inquiramus, fas erit. Pompejus acie pharſalica ſuccubuit A. V. C. IↃCCV, qui eſt annus aetatis Tullii nonus ſupra quinquageſimum. Deinde nulla mora interpoſita, belli reliquias perſequebatur Caeſar in Aegypto: neque illud ante annum V. C. IↃCCVII confecit, Caeſare tertium et Lepido Coss. Hoc eodem anno, quum Iulius eſſet in Aegypto, Cicero Romae commorabatur, neque Roma fere exibat, propter varias hominum ſuſpiciones, de quibus apud Varronem conqueritur *epiſt.* 2 *lib. VIIII ad diverſ.* Nec multo poſt ab urbe ſecedens, aliquandiu ruri in villis latitavit, et ſub Caeſaris ex Africano bello adventum in ſtudiis conquievit, uti eidem Varroni narrat *epiſt.* 6 *dicti libri.* Hirtium denique et Dolabellam dicendi diſcipulos habuit, qui apud eum declamarent; *epiſt.* 16. *ejusdem libri*, aliisque ſtudioſis philoſophiae juvenibus vacavit, quorum ex conſuetudine (erant enim nobiliſſimi et primi,) potentiam paravit denuo in civitate prope ſummam, uti auctor eſt PLVTARCHVS in *vita M. Ciceronis p. m.* 881. Hoc amplius patet ex *epiſt.* 18. *lib. VIIII.* ubi ſe ludum quaſi habuiſſe ait in Tuſculano, poſtquam Scipio et Afranius in bello Africano perierant, et Cato ſibi ipſi mortem conſciverat. Scipionem vero Caeſar

initio

initio mensis aprilis vicit, et idem non diu post, cum Hispaniam peteret, a Sitio circumventus periit: quae omnia gesta sunt dicto anno IↃCCVII. Haec si compares cum illis, quae CICERO initio *partitionum* scripsit: *Otium autem primum et summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est;* confectam esse puto temporis rationem, quo libellum ediderit, videlicet quum annum aetatis ageret primum supra sexagesimum. Haec conjectura robur aliquod accipit ex eo, quod libellus iste in gratiam filii scriptus est, antequam Athenas hic abiret studiorum caussa. Athenas vero missus est non diu post obitum sororis, Tulliolae, quae ex vita migravit sub initium A. V. C. IↃCCVIII, quo tempore Cicero filius undeviginti annorum erat, utpote natus L. Iulio Caesare et C. Martio Figulo Coss. A. V. C. IↃCLXXXVIIII, quo pater designatus consul fuit. Post Tulliolae mortem scriptas non esse partitiones, satis liquet, cum dolore ex filiae dilectissimae obitu nimium angeretur, aegritudinisque aliquam levationem in philosophiae studiis quaereret, in quibus maximam anni partem consumebat. Deinde haec filii institutio in arte, vel potius repetitio eorum, quae jam audiisse filius dicitur, prius fieri nequit, quam per aetatem, dicendi praecepta graece didicisset, quae erat tum apud Romanos discendi ratio. Quod si vitae rationes Marci filii inire placet, apparebit, eum ante aetatis annum septimum et decimum tantos in literis profectus facere non potuisse, ut reconditae artis

ido-

idoneus esset auditor. Reliquum ergo est, ut intermedio tempore, h. e. Iulio III. et Lepido Coss. quo pater aetatis annos sexaginta unum numerabat, et filius annorum erat XVIII, liber fuerit compositus.

In hac quoque sententia SEBAST. CORRADVM, virum doctissimum, fuisse video: cujus quidem liber, *Quaestura* inscriptus, et Bononiae apud Anselmum Giaccarellum A. 1555. f. 8. typis descriptus, cum ista scriberem, ad manus non erat. Ejus dein copiam nactus ex regio librorum thesauro Guelpherbytano, verba CORRADI, eo quod corroborare videbantur opinionem nostram, hic adscribenda esse duxi: *Quo tempore*, inquit, *Caesar Africum bellum gessit, Cicero partitiones oratorias, et Brutum scripsit. Et de Bruto quidem nos in Bruto diximus: sed de partitionibus oratoriis, quia dubitari posse videmus, aliquid dicendum videtur: quamvis nihil habeamus, quod pro certo possimus affirmare. Quare conjectura nobis est utendum ea: videri nobis eas ante scriptas fuisse, quam Cicero filius Athenas Cal. Apr. C. Caesare, Q. Maximo* (alii C. Fabium Maximum appellatum, et consulem suffectum fuisse annotant,) *Consulibus, ut supra dictum est, mitteretur, nam praesens in eo dialogo cum patre ruri loquitur. Porro dialogus ille vix inter Tulliae mortem, et Ciceronis filii profectionem videri potest institutus, quum pater eo tempore sic filiam lugeret, ut de rebus hisce nihil aut parum cogitaret. Quin ex epistolis ad Atticum cognoscimus, eo tempore patrem ruri, et in solitudine, filium Romae fuisse. Sequitur igitur, ut pute-*

putemus, eos ante Tulliae mortem de rebus illis inter se locutos fuisse. Atque ipsum inter bellum Africum et Hispaniense factum fuisse crederemus, nisi sciremus, et tempus illud brevius, et Ciceronem occupatiorem fuisse, quam ut tam multa complecti potuerit, quam multa nos infra dicemus. Africi vero belli tempore magis otiosus fuit, ut in ipsis partitionibus se tum fuisse demonstrat, et rus interdum, ut in Tusculanum, se conferebat, ut in principio libri duodecimi ad Atticum docet: quamvis longius abire non auderet, ut ad Varronem scribit. Tunc etiam Cicero filius annum decimum octavum agebat ita, ut ea posset quaerere; quod antea fortasse facere non potuisset. Africo certe bello finito, pro M. Marcello, et pro Q. Ligario dixit: Brutum, quem prius, ut opinor, inchoaverat, absolvit: Catonem, Oratorem, et libellum de optimo genere oratorum scripsit, atque Demosthenis et Aeschinis duas nobilissimas orationes inter se contrarias convertit. Tum Tullia, sicut ante diximus, Hispaniensis belli tempore mortua, se ipse per literas est consolatus; quem librum de luctu minuendo, vel consolationis inscripsit. Haec CORRADVS hactenus.

De inscriptione, cur *partitiones* denominaverit, non unam omnes fovere opinionem, perspicio. Quidam denominandi rationem eam esse autumant, quod partes, h. e. membra rationis dicendi, non autem formae enumerentur. Formarum enim et generum est divisio, membrorum et totius, partitio, uti post PLATONEM, docuit CI-

CERO in *Topicis*, *Formas*, inquiens, *qui putat idem eſſe quod partes, confundit artem, et ſimilitudine quadam conturbatas, non ſatis acute, quae ſunt ſecernenda, diſtinguit.* Si, quae illi dicunt, in ſe perpendimus, veriſſima eos dicere, in confeſſo eſt: neque tamen ſatis intelligo, quid ad rem iſta faciant, cum certa denominationis ratio nondum appareat. Nam διαιρέσεως vox graeca, cui apud Latinos modo *diviſio*, modo *partitio* reſpondet, pro quacunque diſcriminatione differentiarumque adnotatione, eorumque capitum, quae ad rem conſtituendam pertinent et referuntur, a praeſtantiſſimis auctoribus adhibetur. Exemplum hujus ſignificationis ex THEOPHRASTO affert GVIL. BVDAEVS *comment. lingu. Gr. p. m.* 827. Deinde in hoc libello non partes tantum, ſed et formas, itemque capita quaeſtionum enumerantur. IOACH. CAMERARIVS in *comment. in partit. Ciceronis*, rem omnem a *pag.* 89. ad *p.* 97. fuſe et ſuo more, i. e. eruditiſſime, expoſuit, ſcribens: *Sunt autem* διαιρέσεις *in hac arte aut generis in formas, ut, quaeſtionum alias eſſe definitas, alias infinitas: aut totius in partes, ut orationis partes eſſe 4 ſeu 5; aut rationis et conditionis in enumerandis capitibus, ut, verbi cauſſa, tractandi quaeſtionem, quae ſunt* διαιρέσεις ζητημάτων ἐις κεφάλαια, κατὰ τὴν ἑκάστων στάσιν, *id eſt, diviſio quaeſtionum in ſua capita, ut veſtigentur loci argumentorum, ſecundum cujusque quaeſtionis ſtatum, quod inventionis eſt opus: ſecundum haec enim fere differentiae et diſtinctiones reperiuntur in omnibus,*

de

de quibus via et ratione disputatur. Atque has distributiones in doctrina artium usurpari omnes, necesse est, quae communi verbo partitionum a Cicerone appellatae fuerunt: qui quidem etiam a partiendo, hoc est, totum in partes suas distribuendo orditur. Atque haec postrema denominationis ratio potior videtur Io. STVRMIO, in *partit. orat. Ciceronis dial. I. p.* 2, ubi illam desumptam esse, ait, a docendi ratione διαιρετικῇ καὶ ὁριστικῇ, qua usus totam artem in certos quosdam limites definitamque materiam partiendo tradidit; atque dividendo, partium membrorumque enumerationem instituit. Haec Platoni et Socrati familiaris, et a Galeno tradita docendi ratio, quae ab ἀναλύσει diversa est, in quo consistat, brevissime exponit CICERO, sub Crassi persona, *lib. I. de orat.* p. m. 180. *Si enim,* inquiens, *aut mihi facere licuerit, quod jam diu cogito, aut alius quispiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne jus civile in genera digerat, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propriam cujusque vim definitione declaret; perfectam artem juris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem et obscuram.*

Non jam disquiram, quid de illa μεθόδῳ habendum, et an in docendo probanda sit? Ad dialecticos enim propius pertinet haec quaestio, quam ad rhetores. Probat eam STVRMIVS *partit. dialect. lib. III. c.* 15. improbat IAC. ACONTIVS *de methodo p. m.* 73. 74, qui tamen arti, quae jam

constituta sit, scribendae, et ad memoriam atque compendium idoneam esse non negat; quo nomine Ciceronis hic libellus quam maxime commendatur a Camerario, verbis infra recitandis.

Quod dialogo sunt perscriptae partitiones, res est, in quam considerationem intendamus oportet. ἔστι δὲ διάλογος, definiente LAERTIO *lib. III. segm.* 48. λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν, μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιΐας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς. Hoc docendi genus magnam habuit olim gratiam, et antiquis visum est longe aptissimum ad erudiendos auditores, quos ἐξωτερικοὺς nominabant, seu eos, quos ad interiora disciplinae cognoscenda non admittebant. Nam ex responsione, quae dari potest ad ejusmodi interrogationem, sub qua contradictio latet, sive ajas, sive neges, probabilis tantum conficitur ratiocinatio, non certa aut demonstrativa. Nam ad demonstrationem interrogationes esse ineptas, ARISTOTELES pronuntiat in *primo priorum analyticorum cap.* I: οὐ γὰρ ἐρωτᾷ, ἀλλὰ λαμβάνει ὁ ἀποδεικνύων. et in *primo posteriorum cap.* II: ἀποδεικνύντα γὰρ οὐκ ἔστιν ἐρωτᾷν, eo quod demonstratio sumat alteram contradictionis partem, cum interrogatio ipsam contradictionem implicet. Sub ista vero dialogorum classe locum non habent, de quibus loquimur, partitiones. Praeterea Aristoteles ponit alterum interrogationis genus ἐπιστημονικῆς, quae ad scientiam parandam et corroborandam idonea est; atque haec versatur non tantum circa

res

res et materiam, quae vera ſit, certa et neceſſaria, et ſua cujusque ſcientiae; ſed et ipſe interrogationis modus a priori abit: haec enim ſciendi et docendi cauſſa inſtituta quaeſtio, non continet contradictionem; ſed tantum contradictionis alteram partem, quae eſt vel affirmatio, vel negatio: qua de re philoſophi uberius et accuratius diſquirere ſolent. Conferri meretur OCTAVIANVS FERRARIVS libro eruditiſſimo *de ſermonib. exotericis p. m.* 199. *ſeqq.*

Ex iis, quae adhuc perſecutus ſum, conficitur, Ciceroni propoſitum fuiſſe, hoc libro morem non Ariſtotelium, ſed Platonicum imitari; id quod amplius cognoſcitur ex eo, quod prooemium, ab ipſis ſermonibus ſeparatum, non praemiſit; ſed filium ita exordientem induxit, ut, dum aditum patefacit ad rem, diſſerendi occaſionem ſuggerere videretur, cujusmodi principia καταϛατικὰ vocantur. Nam Ariſtoteles, teſte Tullio noſtro, prooemiis perpetua oratione, quali utuntur prologi Terentiani, uſus eſt in dialogis; quos omnes fuiſſe ἐξωτερικοὺς, aliunde conſtat: at Platonis colloquia ἄνευ προοιμίου ſimul cum ipſo ſermone perſonarum inchoantur.

Habet et illud dubitationem, cur filio puero interrogandi partes dederit? quas, cum ſint difficillimae, Socrati ſapientiſſimo a Platone plerumque datas eſſe novimus. Nemo enim, quod neſcit, interrogare poteſt via certa, certoque modo, apte et concinne. Illi vero STVRMIVS, nunquam ſine laude nominandus, occurrit: *Sunt quaedam*, inquiens,

ens, *quae adolescentulos ex senibus sciscitari decet, si terminatum quaerendi modum habeant; deinde saepius, quae didicimus, sciscitari ab illis licet, quibus nos charos esse sentiemus.* Dum ergo Cicero filius ex parente quaerit, discendi caussa; et parens, utpote peritior, potiores dicendi partes sibi sumit, id quod Tullio tum propter aetatem et dignitatem, tum propter doctrinam et prudentiam, quam maxime conveniebat: hoc ad orationem moratam et ad decorum pertinet, et ingenium dicentis, etiam cum aliqua morum imitatione, exprimit.

In eo igitur haesisse nollem virum quendam alias acutissimum, qui dialogum esse imitationem, omnemque, quae mores habeat oratio, imitationi esse conjunctam negat; vim verbi *imitationis* eam esse persuasus, ut alius sit, qui loquatur; alius, quem voce et gestu referat. Decorum orationis vel in rebus consistit, vel ad personas refertur. Non injuria igitur, separandum nonnunquam esse decorum ab imitatione, censet. Sed in eo fallitur, dum imitationem non esse, nisi inter duos, eosque corpore, non solo affectu diversos statuit. Rhetorum haec est doctrina, oratorem saepissime mores ejus, quem defendit, vel adversarii, vel aliorum hominum, congruenter proferre; nec raro etiam suos monstrare, et oratione exprimere. Nam ἦθος personarum, et imitatio, non tam vitae, quam orationis sunt. hac si refert sensa animi orator, certa quadam ratione affecti: quid hoc est aliud, quam imitari? Itaque licet Cicero in hoc dialogo ex sua persona loquatur,

et

et alium externum non imitetur; imitatur tamen parentem, filii amantissimum: deinde et filium repraesentat, discendi cupidissimum, et modestum: eaque imitationis laude non concedit Platoni, qui morata oratione usus, collocutorum mores accurate expressit cum imitatione. De Aristotele pronuntiare non sustineo, quem morata in dialogis oratione minime usum esse, perhibet BASILIVS: illius enim libri ἐξωτερικοὶ aetatem non tulerunt.

Porro in his partitionibus sermo est inter duos: fieri enim potest, ut in dialogo, duorum tantum, quod grammatici volunt, sermo referatur; neque necesse sit, ut plures inter se confabulentur. Secus visum est magno SCALIGERO *poëtices lib. I. c.* 3. Plato certe, qui primus introduxisse, h. e. expolivisse, dialogos dicitur LAERTIO, Aristoteles item, Athenaeus, Lucianus, qui eos ad momicam lasciviam detorsit, colloquendi partes dederunt nunc duobus tantum, nunc pluribus; ut taceam Erasmum, Sturmium, et qui nostro aevo propiores, hoc scribendi genere delectati sunt, eundemque omnes morem atque consuetudinem tenuerunt. Qui plura de artificio dialogorum nosse, et plenius de iisdem judicium ferre desiderat, eum plura et solidiora docebit toties jam laudatus Argentinensium rhetor, STVRMIVS, vir praestanti eruditione et judicio, *partit. dialect. lib.* 4, *cap.* 18, quem librum qui norunt, magni omnino faciunt. add. CAR. SIGONIVS peculiari libro *de dialogo;* et VOSSIVS *institut. orat. lib. VI. cap.* 5, *n.* 5.

Quod

Quod ad argumentum hujus dialogi attinet, ita tenendum eſt, integram dicendi doctrinam mira brevitate hic exponi: id quod cum non ſatis expenderet RENATVS RAPINVS, philoſophus et criticus ſummus, in topicis, partitionibus, libris de inventione et ad Herennium, particulam tantum artis contineri aſſerit, in *praefatione*, praemiſſa libro, cui titulum praeſcripſit: *Reflexions ſur l' eloquence*; notatus ideo GIBERTO in libro, Gallica lingua inſcripto: *Iugemens des ſavans ſur les auteurs, qui ont traité de la rhetorique, T. I. p.* 381. Et recte quidem: nam Cicero filius ex parente quaerit non de parte una alterave, ſed de omni doctrina dicendi, in quot partes ſit diſtribuenda? Sane brevi hoc libello Tullius congeſſit omne id, quod tironi artis, ſcitu eſt neceſſarium, nihilque omiſit eorum, quae tum ipſe alibi fuſius, tum Ariſtoteles, ſcriptis tradiderunt. Et quamvis rudimenta artis tantum propoſuerit, neque intimos quosque receſſus repanderit; virili tamen ſcientiae ita praeluſit, doctrinamque omnem compendiaria hac via ita explanavit, ut exactius id fieri non potuerit.

Neque eſt, cur CYPRIANVS SOAREZ, in *epiſtola* ad lectorem, praefixa *libris tribus de arte rhetorica*, brevitatem in hoc dialogo, quaſi nimis curta ſit et juſto reſtrictior ad docendum, reprehendat: *Partitiones oratoriae ita ſunt breves*, inquiens, *et conciſae, ut multas et magnificas eloquentiae opes conſtructas et reconditas nimis anguſte coarctent.*

Quod

Quod quidem ferendum esse censet laudatus antea GIBERTVS, si exempla solum requirat, quorum ne unum quidem Cicero subjunxit: at si praecepta ipsi manca viderentur, id vero est, quod cum rei veritate consistere nequeat. Anguste satis, fateor, coarctavit doctrinae nobilissimae opes, quae infinita alias amplitudine se diffundunt: sed et illud profiteor, quod coarctatum est, nimia idcirco brevitate laborare, jure non posse coargui. Nimia siquidem brevitas ea demum est, ubi aliquid ad rem spectans desideratur. Eorum vero, quae artem integram strictim absolvunt, nihil omnino in his partitionibus deest. Sane si diligenter in tradendis artibus verbositas omnis fugienda est; uti post alios recte monuit IAC. ACONTIVS *loc. cit. pag.* 11; Tullio certe vitio dari nequit, quod filio praeter *indicia fontium* regustanda nihil exposuerit. Nimirum quae, ex aliis disciplinis petita, in hac communiter alte et a capite repetuntur, ea strictim et concise exposuit. Cum enim primum sit in arte, praecepta artis tenere, quae nobis non minus nota, atque in promptu esse debent, quam viginti quatuor literarum, vti STVRMIVS alicubi loquitur; quam apposita ad hunc finem sit brevitas, obscurum esse potest nemini. Ita doctrinam inventionis paucis lineis absolvit: quoniam locorum naturam et indolem explicare, non tam rhetoris est, quam dialectici: quamvis post temporis quoddam intervallum de usu, quem rhetores ex locis capiunt, scripto singulari uberius commentari non neglexerit.

Adhaec, pleraque iſtaec praecepta ſunt ex eorum genere, quibus, etſi plene non intelligas, tamen ſcite uti poſſumus, ſi praeceptoris induſtria praeeat, et ſi conſueſcamus.

Ceterum communia hujus doctrinae praecepta, quae quidem e media illa Academia floruerunt, ad rem appoſite perſequitur. Sunt in his partitionibus, verba GIBERTI latine recito, omnia ea lumina, quae genus judiciale illuſtrant tum univerſe, tum praecipue, quod ad ſtatus attinet; quorum doctrinam prolixa verborum multitudine involvit potius Quintilianus, quam evolvit. Nec jure quidquam amplius requiras in genere deliberativo et demonſtrativo, cujus indolem, naturam et characterem, tam quod ad ſtilum, quam quod ad ornatum, accurate ſatis explicat; quamvis de figuris et verborum ornamentis aut parum praecipiat, aut nihil. Hactenus GIBERTVS.

Praeſtantiſſimi hujus viri animus, in quo exquiſita doctrina eſt et prudentia altiſſima, offenditur illa Academicorum ex PLATONIS *Philebo* derivata de motibus et affectionibus animi doctrina, quam illi cum Stoicis communem habent; et Cicero ſequitur, quatuor earum numerans: Gibertus vero, quaſi reſtrictior ſit numerus, oratori hanc diviſionem non ſatis accommodatam, et illam Stagiritae alteram huic longe praeferendam eſſe autumat. At enim vero, cum ille affectionum animi cenſus, qui in ſcholis receptus eſt, (Ariſtoteles enim et Plato definitum earum numerum inire noluere,) naevis non

non paucis laborare deprehendatur, et nonnulli insigniores, uti pudor, misericordia, aemulatio, invidia, et plures, plane omittantur; vid. acutissimi THOM. WILLISII libellus *de brutor. anima, exercit. prior. cap.* 9. laude potius, quam reprehensione dignus erit Tullius, quod maluerit genera definita numero indicare, quam lectorem prorsus incertum dimittere. In Zenonis vero schola partes perturbationum nasci dicebantur ex duobus bonis, totidemque malis; quae tamen Stoici non vera mala, non vera bona, sed opinata solum censebant; ut sit *laetitia* praesentium bonorum; *libido*, futurorum; *metus*, malorum futurorum; *aegritudo*, praesentium; uti ipse declarat CICERO *Tuscul. disput. lib. IIII.* Iam sub haec quatuor, cetera omnia cadere, et partes plures esse generum singulorum, a multis, et ab ipso Cicerone est ostensum. Vidit quoque Tullius, quo ingenii erat acumine, quamvis Peripatetici cum Academicis tum in hac parte, tum in aliis, dissentirent, utrosque tamen multa in orationibus bene dicendi exempla reliquisse, et illa ipsa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque; ea vero, quae requirebant orationem ornatam et gravem, magnifice splendideque dixisse, uti ipse refert *lib. IIII. de finib. n.* 5. 6.

In amplificationis doctrina sequens definitio: *Est igitur amplificatio, gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem*; displicet GIBERTO, eo quod amplificatio, secundum illam, nihil aliud docere videatur, quam rem

ſtilo ſimplici antehac explanatam, augere ſtilo magnifico. In eo quo minus aſſentiar viro doctiſſimo, ratio eſt, quoniam amplificatio fere eas ſibi ad tractandum actiones ſumit, dicente ARISTOTELE *rhetor. lib. I. cap.* 9, de quibus nulla dubitatio eſt, et quae nihil aliud poſtulant, quam ut augeantur et exornentur. Non itaque venit in mentem Tullio, praecipere, ut res, quae ſublimi et vehementi dicendi genere amplificanda eſt, ſtilo ſimplici prius explanetur, quam magnifica illa exornatio accedat: ſed ut enthymemata aptis verborum luminibus picta, ſtruantur, quae aliquid magnum eſſe vel parvum demonſtrent, uti idem ARISTOTELES habet *rhetor. lib.* 2, *c.* 26, *n.* 3. Sunt enim amplificationis duae partes: una verborum, altera rerum, ſive ſententiarum: utramque Tullius dilucide apteque explicat, docens, et quo loco, et quomodo, ea ſit adhibenda, ita ut nihil omnino omittat in expoſitione hujus doctrinae, quod ad eam pertineat, ipſo GIBERTO fatente. Sed cum nihil perturbet, niſi magnum videatur: oratio autem, verbis licet magnificis elata, tumida potius et inepta ſit, quam magnifica, niſi rerum pondera eandem attollant; et cum denique non tam verba, quam res, oratione idonea explicatae, fidem concilient: definitioni huic Tullianae nihil omnino deeſſe, quod addi deſideres, apertum eſt.

Atque nunc demum plenius perfectiusque intelligimus, quare STVRMIVS, Ciceronis partitiones oratorias, ceterorum omnium rhetoricis antehabu-

habuerit, judicans, eas *ex praestantissimis libris esse, quos Cicero postremos de hac arte scripsit, cum ejus oratio maturuisset, et usu, quae ad dicendum discendumque necessaria essent, comperisset.* Praeceptoris doctissimi de hoc libello judicium, sua assensione approbat eodem non minor alumnus, et in munere successor dignissimus, MELCHIOR IVNIVS, cujus in *methodo eloquentiae cap. 5.* haec sunt verba: *Et sane si compendium aliquod rhetoricae quaerimus, non equidem doctissimorum virorum labores improbo, non studium et diligentiam contemno, non parvi eruditionem atque doctrinam facio, non scripta praeclara de studiosorum manibus excutienda atque removenda esse censeo: at interim ita ista legi velim, ne* aureolae *illae* partitiones oratoriae *negligantur, in quibus, quae de oratoris vi, oratione et quaestione, fuse sunt et enodate ab aliis dicendi magistris tradita, dilucide atque perspicue Cicero proposuit, idque poëtae observavit:*

Quicquid praecipies, esto brevis: ut cito dicta
percipiant animi dociles teneantque fideles.

A partitionibus igitur oratoriis initium sumendum esse in dicendi praeceptis Ciceronianis arbitror. Idem sequenti *cap. 6.* repetit, ubi, cum omnia uno legi atque cognosci tempore nec possint, nec debeant, suadet, initium faciendum esse a partitionibus oratoriis, utpote facilioribus et brevioribus: ab his deinde progrediendum, et cum iisdem conjungenda, quae Aristoteles, Hermogenes, ipse Cicero, et reliqui, hac de arte literis consi-

gnarunt. Duumviris hisce adjungo IOACH. CAMERARIUM, alterum post Melanchthonem Germaniae praeceptorem, qui in praefatione ad hunc libellum, *De quo*, ait, *ea est opinio mea, neque quidquam posse pueris ad indicationem eorum, quae ars rhetorica profitetur, exquisitius, neque* adultis *ad reminiscendum expressius atque distinctius proponi, quam quae in hoc libello a patre cum filio disseruntur. Atque est veri certe simile, non fuisse in his describendis negligentem Ciceronem, cum opera filio daretur, quem illi et unicum et carissimum fuisse, quemque ad decus atque virtutem in studiis optimarum disciplinarum educi magnopere voluisse scimus. Ad perfectionem autem maximam operis, multum etiam momenti attulit aetas, qua annis jam graviore haec Ciceronem composuisse constat. Ita enim accidit, ut non solum peritia diuturni usus omnia redderet exactiora, sed judicium etiam corroboratum castigaret atque corrigeret quaedam et Graecorum et propriae rationis, quam aliquando secutus fuisset.*

Si denique commendationem habet virtus libri, qui frequentis editionis honorem meruit, et multorum industriam provocavit: partitiones profecto oratoriae nec ea laude carent. In variis editionibus conquirendis otium nobis fecit singulare Germaniae ornamentum, IO. ALB. FABRICIUS, quem, praestantis ingenii et industriae virum, fautorem optimum veneror, *in bibliothecae Latinae lib.* I. *cap.* 8, *p.* 94, et *in supplem. p.* 106; unde

de commentatorum memoriam repetens, fere ſequentes annoto:

Brutus, cum libro de perfecto oratore, topicis, *partitionibus*, et libris de oratore, LEONICENI illuſtratis commentario, ac de petitione conſulatus ad Q. fratrem, et Aeſchinis ac Demoſthenis orationibus contrariis latine verſis, Venetiis 1485. f.

Proſtant quoque *partitiones*, Noribergae 1497. fol. et Venetiis 1501. excuſae.

Partitiones oratoriae cum topicis et oratore, et cum ſcholiis GERARDI BVCOLDIANI, Colon. 1531. f. 8v. adjuncta oratione pro Dejotaro, et ex LIVIO oratione Q. Fabii Maximi de P. Scipionis in Africam trajectione.

IO. STVRMII in *partitiones oratorias* Ciceronis dialogi IIII, Argentorati 1539. Eosdem ab ipſo auctore emendatos et auctos, capitibus diſtinctos, cum ſingulorum capitum οἰκονομία, et adjectis ejusdem Sturmii libris II de amiſſa dicendi ratione, recudi fecit Argentorati Theodoſius Rihelius f. 8v. nulla anni mentione facta.

GEORGII VALLAE, IAC. LVDOVICI STREBAEI BARTHOL. LATOMI et CHRISTOPHORI HEGENDORPHINI in partitiones oratorias commentarii, habentur excuſi cum variorum commentariis in univerſos rhetoricos libros Ciceronis, Baſil. 1541 fol.

Libellus Ciceronis de partitione oratoria, totius artis capita complectens, editus, et alicubi explicatione auctus a IOACH. CAMERARIO, Pab. Lipſiae 1544. f. 8v. Par-

Partitiones oratoriae cum tabulis CLAVDII MINOIS, Parisiis 1582. f. 4t.

MARCI ANTONII MAIORAGII commentarius in Tullii partitiones, lucem vidit Venetiis 1587. f. 4ta.

Scripsere quoque in eundem hunc libellum VITVS AMMERBACHIVS et CAELIVS SECVNDVS CVRIO.

CHRISTOPH. HEIDMANNVS, illustris Iuliae quondam facundissimus orator, hujus quoque libelli editionem divulgavit a. 1624. f. 8. luculenta ad amplissimum ICtorum ordinem praefatione perscripta; adjecto M. ANT. RICCOBONI compendio rhetorices ex Aristotele et Cicerone, atque G. Cassandri tabulis rhetoricis.

ADAMVM SIBERVM, virum de juventute meritissimum, in partitiones Tullii commentarium emisisse, alicubi annotatum memini: librum ipsum videre non contigit; nec reperio, a M. HENR. AVG. SCHVMACHERO, qui in vita Siberi de scriptis ejusdem copiose disseruit, illius mentionem esse factam.

Ex his, quae hactenus fuse disputavi, satis, opinor, liquet, sapientissimo consilio factum esse, ut munificentissimus Iuliae suae conditor, divus IVLIVS, Dux Brunsvico-Lunaeburgensis gloriosissimae memoriae, inter alia provide sanxerit, vulgaria rhetorices elementa ex libello, quem vulgo Ciceronis esse putant, ad Herennium, vel ex partitionibus oratoriis esse tradenda, iisdemque absolutis, orationem Ciceronis unam et alteram,

vel

ERHARDI REVSCHI
ORATIO,
QVA
VETERVM ELOQVENTIA,
HVIVSQVE
ADDISCENDAE RATIO,
AB
IISDEM DICENDI MAGISTRIS TRADITA,
COMMENDATVR,
CVM
ELOQVENTIAE ET PHILOLOGIAE LATINAE
PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
MVNVS SVSCIPERET,
HELMAESTADII IN IVLEO MAIORI
IN FREQVENTI PANEGYRI
A. D. XIIII SEPTEMBRIS A. R. S. cIↃIↃccXXIII
DICTA.

ACADEMIAE IVLIAE PRORECTOR ET SENATVS CIVIBVS ACADEMICIS.

CVm loqui populare ſit et plebejum, dicere eruditionis magnae et uſus longi, palam agnoscitur, potentem hanc virorum virtutem praeclari eſſe judicii, genii benigni, et copioſae doctrinae: ſiquidem puri ac elegantis, ſed et perſpicui et penetrantis ſermonis vis ingens eſt et robur incomparabile in animos cum populi, tum concionis et coetus cujuscunque. Mens audientium duci et convinci vult argumentis, ut veritatem agnoſcat, et quid faciendum ſit, intelligat; ſed et aures mulceri volunt, ut placeat, qui dicit, et perſuadeat, quod agnoſci et peragi cupit. Validam hanc orandi artem docent in Academiis eloquentiae profeſſores, ut diſcant ſtudioſi, in omnibus officiis dicere et ſcribere graviter, dilucide et ornate. Potentiſſimis Academiae noſtrae Nutriciis placuit, ſapienter conſervare nativam Academiae hujus gloriam, ex dictione pura, compta, et ad movendum apta, ad exemplum veterum. Decorem ergo in orationis apparatu cum haereditario quodam jure

ſibi

ſibi noſtra haec muſarum ſedes vindicet, auguſti Principes noviſſime ad nos ablegarunt virum varia nobili doctrina in orbe literato celebrem, DOMINVM ERHARDVM REVSCHIVM, *IVRIS VTRIVSQVE LICENTIATVM, quem ELOQVENTIAE et PHILOLOGIAE LATINAE PVBLICVM ORDINARIVM conſtituerunt PROFESSOREM, quo charactere et nos eundem in noſtrum ordinem et conſeſſum ſolenni ritu nuper introduximus. In eo jam eſt, pro ardui officii indole, ut nitidae hujus ſuae et ſpectatae profeſſionis operam in rerum ſuarum exordio publica oratione decore illuſtret, ut pervideant noſtri, ornatus avidi, quam aperturus illis ſit veterum oratorum viam ad dicendi et ſcribendi ſinceritatem. Cras igitur hora X. in Iuleo magno in panegyri vos compellaturus, PRISTINAM ELOQVENTIAM, qua excellit arte, commendabit, ET IN EA ADDISCENDA ORDINEM VIAMQVE ILLAM, QVAE VETERVM ET GRAECORVM ET LATINORVM RATIONI SIT QVAM MAXIME CONSENTANEA, CONSERVANDAM ESSE edocebit. Quod cum in deſideratos veſtros cedat uſus, et in elegantium literarum honorem vergat, adeſte attenti, et vos veſtraque ſtudia ornari gaudete.*

P. P. in Academia Iulia anno MDCCXXIII. die XIII. Septembr.

MA-

vel epiſtolas aliquas luculentiores eſſe adjungendas. Aequiſſimae huic voluntati demiſſiſſimo animi cultu obſecundaturus, muneris a ſereniſſimis ac potentiſſimis Iuliae ſuae Nutriciis, Dominis meis clementiſſimis, habito nupero delectu, mihi indulgentiſſime aſſignati, fauſta capiam auſpicia ab explicatione utiliſſimi, et a tot tantisque heroibus commendati, libelli CICERONIS de PARTITIONE ORATORIA; eoque animo haec praefari libuit, ut expeditam magis viam ad lectionem illius pararem iis, quibus volupe eſt, in iſta arte ſe exercere, ſine qua reliquae tractari rite, exornari praeclare et decore illuſtrari nequeunt. In praeceptis dilucidandis brevitatem cum perſpicuitate conjungam; exempla, ex ipſo Tullio maximam partem petita, adferam; uſum denique commonſtrabo, quem praecepta iſta in orationibus tam civilibus, quam ſacris, lingua ſeu Latina, ſeu Teutonica pronunciandis, hodienum obtinent: ſecutus hac in re veſtigia praedeceſſorum, quos viros in hac arte ſummos, et de eloquentiae ſtudiis immortaliter meritos, celebrant boni doctique omnes, CHRISTOPHORI HEIDMANNI, CHRISTOPHORI SCHRADERI, CASPARIS CORBERI, IVSTI CHRISTOPHORI BOEHMERI, quem theologum et oratorem incomparabilem eximia virtus ad altiorem dignitatis, eumque *reverendiſſimi Abbatis* gradum, haud ita pridem evexit. Ante vero quam labores hosce adgrediar, pauca praecerpere libet de *ratione legendi*

bonos auctores, cum non raro evenire experientia doceat, ut rectae diſcendi rationis neglectu multi, qui alias neque ingenio, neque ſtudio, neque diligentia deſtituuntur, aut ſerius, aut nunquam, ſolidae eruditionis copiam ſibi acquirant.

Deinde cum exploratum ſit omnibus, ignotum nemini, *quousque conſuetudo exercitationis non recte celebratur, neque excolitur uſus rhetoricus; eousque nihil oratione politum, nihil elaboratum induſtria, nihil copia atque varietate ornatum, a noſtris exire poſſe*, dicente laudatiſſimo STVRMIO *de amiſſa dicendi ratione lib.* I. *cap.* 3; illis, qui ex commilitonum nobiliſſimorum ordine, exercitatione uſuque dicendi proficere cupiunt, in arte conficiendi, politaque oratione veſtiendi, enthymemata, ὅπερ ἐςὶ σῶμα καὶ κυριώτατον τῆς πίςτεως, ut ait ARISTOTELES *rhetor. lib.* I. *cap.* I, vel in epiſtolis conſcribendis, vel in orationibus componendis, privatam operam navabo. Quandoquidem autem nihil ſine exemplo recte aut docetur aut diſcitur: exempla tum epiſtolarum, tum orationum ex ipſo Cicerone, aut ſi malueritis, o mei, ex Demoſthene, Iſocrate, aliove ſeu Graeco ſeu Latino oratore, curate ſeligam, et pro ſcopo convenienter non tantum interpretabor, ſed ita evolvam, ut de uſu praeceptorum aperte conſtare queat. Porro parare conſtitui auditoribus, ſi ita viſum fuerit, notitiam praeſtantiſſimorum auctorum, qui in diſciplinis, ad humanitatem pertinentibus, praeter

reli-

reliquos aliqua laude ſunt conſpicui. Neque de-ero voluntati eorum, qui antiquitates Romanas, intelligendis veterum ſcriptis perneceſſarias, noſſe cupiunt.

Ceterum optionem do humaniſſimis commilitonibus eligendi, ſi in aliis eruditionis partibus, quarum quidem interpretatio mihi eſt commiſſa, ſtudia ſua a me juvari velint : et viciſſim mea hac omnibus inſerviendi facilitate eam a vobis, o mei, gratiam me initurum totus confido, ut frequentes, et conſtanti alacritate me diſſerentem de iis rebus, quae humanam utilitatem cum honeſtiſſima voluptate conjunctam habent, cupide amanterque audire, meum hoc ſtudium veſtro amore magis magisque excitare, juſta denique artis dicendi optimarumque literarum cognitione repleri velitis. Quantum veſtra interſit, his ſtudiis exerceri, divus IVLIVS, princeps ſapientiſſimus, qui, ut poſteris ac vobis bene eſſet, neque curae neque ſumptibus pepercit, omniaque in hanc Academiam ornamenta indulgentiſſime contulit, vos edoceat, ſi fortaſſe tanti herois auctoritate duci, ejusque illuſtriſſimo potius teſtimonio, quam alterius, aures praebere malitis. Haec autem ille de ſtudiis artium liberalium recte inſtituendis lege XI, quae de ſtilo agit, injunxit omnibus ac ſingulis Iuliae ſuae alumnis, ſcribens: *Maxime neceſſariam et omnium utiliſſimam ſtudiorum partem eſſe, aſſiduam et diligentem ſcribendi et*

dicendi exercitationem, ſtudioſi ſciant, qua ſola fere conſequi his temporibus queant, quicquid ex ſtudiis eximiae utilitatis et laudis parari poteſt. Itaque ſtilum, optimum et praeſtantiſſimum excitandi ingenia, et recte judicandi ac dicendi opificem et magiſtrum, aſſidue acuere et polire, tum vertendis ex una lingua in aliam narrationibus, aliisve locis auctorum illuſtribus paraphraſi reddendis, tum propriis epiſtolis et orationibus ad imitationem propoſiti exempli illuſtris, et judicium magiſtri prudentis et uſu periti, componendis; tum carminibus ludendis ſtudeant. Et in hac aſſiduae tractationis ſtili ac ſcriptionis diligentia, omnem ſtudiorum ſuorum profectum et fructum praecipue poſitum eſſe ſtatuant. Valete, generoſae mentes, patriae aliquando decora, familiae ornamenta, atque res veſtras ex voto peragite. Scribebam Helmaeſtadii in Academia Iulia, m. Septembri A. R. S. cIↃIↃccXXIII.

ERHAR-

MAGNIFICE PRORECTOR,

PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI,

CELEBERRIMI OMNIVM DOCTRINARVM PROFESSORES,

CIVES, HOSPITES, QVOTQVOT ADESTIS, PIETATIS RELIGIONE, DIGNITATIS SPLENDORE ATQVE LITERARVM COGNITIONE CONSPICVI,

Tuque generoſa et florentiſſima ornatiſſimorum juvenum corona, ſpes patriae, parentum exſpectatio, ſaeculi decus, amor et deliciae noſtrae.

CVm ab ineunte aetate quandam in loquendo verecundiam naturaliter mihi ineſſe ſentiam, et pudorem, qui linguam contineat; tum nunc maxime, ubi ex hoc loco dicendum eſt, qui eloquentiſſimis eruditiſſimisque viris ſemper patuit, multa animo obverſantur, quae mentem penitus commovent ac perturbant. Sive enim muneris mandati gravitatem curatius diſpiciam; ſive cogitem, quam mirabilis veſtra benevolentia exſpectationem de me concitârit; ſive perpendam vires ingenii mei, quas ſentio, quam ſint exiguae; ſive illas denique cum mediocri dicendi exercitatione comparem: ea res omnis, quae alios ad audendum promptiſſime excitat, me commonere potuiſſet, ut hujus auctoritatem loci contingere ne auderem. Dum autem haec omnia colligo, ac praeterea demiſſiſſima animi veneratione contueor

 ad-

admirabilem ac mirificam plane Serenissimorum illustris Iuliae Nutriciorum erga me clementiam, et summam excellentissimorum utriusque aulae procerum in delectu consensionem mente ac cogitatione amplector ; ita apud me statuo, munus hoc ad bene merendum amplissimum , non sine Numine mihi esse delatum assignatumque ; id quod, cum nemini vestrûm obscurum esse intelligam , facile vos adducet, ut cumulate vobis a me satisfactum esse putetis , si, quamvis minus disertum et eloquentem, memorem tamen ac gratum virum me praestare connitar. In eam igitur partem attente circumspiciens , quid potissimum in illustri hoc consessu virorum, hisce literis apprime eruditorum, adferrem , quod doctissimis auribus gratum acceptumque esset ; quandoquidem prima dicentis cura esse debet, ut prodesse studeat ; altera, ut amice , ut attente audiatur: animo deinceps mecum reputans, latissimum esse orationis genus , saneque varium , quod ad laudandos viros principes suscipitur, eoque non aliud esse aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus , aut in quo magis orator in cognitione virtutum vitiorumque versetur : jam fere inclinabat animus, ut verborum luminibus quam possem diligentissime exornarem inclutas virtutes potentissimae domus Guelphicae, quae quoad longissime veteris memoriae recordatio repeti potest, heroum felicissima parens exstitit. Sed quis modus et finis orationi futurus esset ? Tot ac

tanta virtutum decora in auguſta hac gente ſunt, tot praeclara meritorum ornamenta, tot facinora pulcherrima, eademque aeternitate digniſſima, quae ſuo collucent fulgore atque illuſtrant usque eo communem hanc hominum civitatem, ut non uni, diſertiſſimo licet Tullio, ſed pluribus ſufficiant, in quibus collaudandis ingenii nervos intendant, omnesque dicendi vires experiantur. Tandem neque a meis ſtudiis, neque ab hoc loco alienum eſſe putabam, ſi, dum gratiae aguntur pro accepto munere, in priſtinae eloquentiae commendatione conſiſtam, et in ea addiſcenda ordinem viamque illam, quae veterum et Graecorum et Latinorum rationi ſit quam maxime conſentanea, eſſe conſervandam, breviter ac ſummatim exponam. Vobis, Auditores, ſpero, nec grave, nec injucundum erit, me diſſerentem audire de iis rebus, quibus ipſimet antehac cum inſigni veſtro compendio innutriti eſtis, hortarique lectisſimam hanc commilitonum coronam, qua nihil eſt ornatius, ad ea ſtudia, quae ſummorum principum adminiſtri, divina mente et conſilio praediti, ac diuturno rerum uſu exercitati, ſuo arbitrio comprobant, prima eſſe ad praeſidium, ad dignitatem, ad gloriam civitatis.

Facile agnoſcitis, Auditores, eam ſive artem, ſive diſciplinam, ſive facultatem, quae eloquentia dicitur, in iſtarum rerum eſſe ordine ac cenſu, quarum, uti et ceterarum artium, tenues admodum ſunt ortus, planeque diſſimiles praeſtantiſſi-

mo nitori, ad quem, posteaquam felicia ceperunt incrementa, temporis decursu devenerunt. Nihil enim unquam lucidissimus hic sol adspexit, quod ipsa statim genitali hora summo perfectionis gradu fuerit absolutum, ita ut nihil deesset, nihil addi aut immutari deberet. Postquam igitur summa ingenia quandam dicendi facilitatem in promptu habere coeperunt, illorum imitatione optimum quemque excitatum esse et erectum, ut eandem laudem certa quadam ratione stabilem tum sibi, tum aliis redderet, et viam commonstraret unam, solidam, tutam, perpetuam, per quam facile feliciterque ad eam pertingere liceat, ambiguum non est, neque ea res in dubium venire potest. Qui cum Ennio, qui cum Thucydide vixerunt, nae illi gravi sermone et oratione aperta dilucidaque usi sunt: sed in qua nihil ab arte adscitum, nihil politum; qua, natura atque usu comparata, simplici cultu ac tenui, eoque allium nonnunquam et cepe olente, aratores gaudebant et aucupes. Qui illos proxime sequebantur, elegantiae et munditiae et venustatis studiosi, quam longe ab austera illa Pelasgorum et Aboriginum gravitate disjuncti sunt? Cum enim, judicio usi, in oratione, et rerum et verborum, quae quasi natura et genere longissime remota erant, ingens animadverterent discrimen, ac praeterea solerter observarent, quid intersit, ut quis magnifice, compte, jucunde, concinne, diffuse, acute, graviter, presse, subtiliter, jejune, sicce, steriliter, dicat;

quam vim habeat ornata dictio; Tiſias, Siculus natione, inventus eſſe primus dicitur, qui praeceptiones magna conquiſitas cura ſcriberet, atque enodata diligenter exponeret artificia voce perſequendi id, quod mente et cogitatione quis commentaretur. Eſto, rudem fuiſſe artem a Tiſia traditam: at Stagiritae, et reliquis, viam praeivit, itaque communivit, ut in unum hi facilius conducerent, quae a ſingulis egregie erant excogitata, et praecepta relinquerent, quovis auro pretioſiora, ſi recte iisdem uti noveris. Ab iſto tempore qua arte animos ducebant oratores? quibus verborum luminibus, quae erant dicenda, pingebant, illuſtrabant, ut non tam dicere viderentur, quam oſtendere? quo ſententiarum acumine, quo pondere, mentem gravioribus diſtractam cogitationibus, quae ornatae orationis illecebris non trahitur, percellebant, ut ad ſuam dicentium vocem animos adhiberent, non ſolum aures admoverent? Quaeris, ſumma illa dicendi vis ubi potiſſimum nata ſit? ubi culta optime et quaſi enutrita? ubi perfecta denique et ad ſummum perducta? Athenas tibi nomino. Cultiſſimam hanc gentem, et facundiae gloria nobilitatam urbem, oratoribus fuiſſe refertiſſimam atque ornatiſſimam, quis ignorat? Nimirum apud illos eloquens habebatur nemo, niſi qui eſſet ſapientiſſimus. Omnem quippe vim ſuam, fatendum eſt enim, et quos habet nervos eloquentia, a ſapientiae gravitate habet. Hanc ab illa ſeparare, quid eſt aliud, quam artus atque

nervos e corpore humano tollere, ver ex anno? Quo quis eſt inſtructior a ſacra divinorum eloquiorum notitia; quo excellentior in arte aequi et boni; quo peritior medicinae, ſaluti hominum quaeſitae; quo ſolertior in perſcrutando, quod eſt in natura varium, reconditum, admirabile; quo ſcientior regendae reipublicae, antiquitatis exemplorumque; quo denique exercitatior in omni et virtutum et literarum ſtudio; eo fere praeſtantior eſt in dicendo, eo potentior in animi motibus, qui veluti tenores ac ſoni quidam ſcite tangendi ſunt et pulſandi. Bonas literas qui animo imbibit ſolerti ac tenaci, eum conſiliis ſaluberrimis abundare oportet. Nam probatiſſima conſilia non aliunde rectius aut felicius exſpectaveris, quam a literis. Ea ſi verbis exquiſitiſſime delectis, apteque inter ſe junctis, accommodate efferas, confecta res eſt. Mirari itaque deſinamus ingentem illum rerumpublicarum Graeciae Latiique florem, quum intellexerimus, robuſta illa pectora, Demoſthenem ac Ciceronem, diutius ſervaſſe, quae ruitura erant, et poſt eorundem fata in pejus abiere. Haec demum eſt illa copioſe loquens ſapientia, quam in verborum ſtrepitu inani, et ſonora linguae profluentia ne quaeſiverim. Miſer eſt, qui praeter ſonum nihil affert. Miſer eſt, qui ſua vitae inſtitutione atque diſciplina contentus, ſuoque ingenio confiſus, alterius opes contemnit. Quemadmodum vero doctrinarum cognitio dicendi facultatem non ſolum uberiorem,

ſed et illuſtriorem facit: ita doctrinae etiam ipſae lumen non habent, niſi claritas accedat orationis. Aeternum duratura Platonis, Theophraſti, et quae horum ſunt ſimilia, opera vivunt, celebrantur, efferuntur; et auctori ſuo novam indies vitam donant. Voluſii annales, et ſi qui, Bavii ac Maevii, chartam ſtribligine inquinarunt, jam diu eſt, quod deleti fuerint, eorumque opprobria habent hoc praemium, ut turpitudo obſcuritate et ſordibus ſuis tegatur: nomini tamen eam ignominiae maculam inuſſerunt, quam nulla unquam aetas, nulla oblivio auferet. Praeclari itaque ingenii foetus vitam habent ab ea arte, quae verborum curam non negligit, ſed, dum hanc profitetur, ſapientiae ſimul arces ingreditur, quas ab ipſa excitatas ſuo quaſi jure excutit, et praeſtantiſſima quaeque in rem ſuam vertit. Arces vero ordinate diſpoſitas, et magnifice exornatas, cum quadam animi voluptate ſtudioſe contuemur, earundemque viſendarum ſatietate rarenter capimur; at peraedificatas quidem, ſed quibus cultus non eſt adhibitus, praetercurrimus, et facile ab iſtis removemus oculos, et nos totos avertimus. Vt rectius, quae dixi, intelligantur, totam cauſſam explicemus oportet, atque ante oculos poſitam conſideremus, ut appareat, quid ſit, quod noſtra haec aetas ſeu beatior, ſeu miſerior, priſcis illis temporibus videatur? Obſervatum eſt viris cordatis, ut mores hominum, ita et linguam, et dicendi genus, non eodem modo, ſed varie diſtingui, et in temporum inclinatione

atque

atque viciſſitudine ita commutari, ut oartioni facta ſint ſimillima, factis vita. Quos ſplendor, et apparatus, et luxus, et vita plena atque conferta voluptatibus exſaturat, excelſius fere magnificentiusque ſentient, et dicent ornatius ſplendidiusque, etiam cum quadam immoderatione verborum. Humiliter loqui, et ſicce, et jejune, et aſpere, rudi ſermone, animadvertas, qui cultus et munditiae expertes, omnium rerum tenuitate contenti, vitam parce ac duriter agunt, omittunt et negligunt cetera. Qui autem vitae genus moderatum ſequuntur, et ad certam rationis normam dirigunt, procul ab ambitione, a luxu remotum, et a triſtiori cultu alienum; in dicendo etiam continentiores ſunt, neque ad tumorem, neque ad pompam, et magnificam libertatem adſurgunt, neque obſoletiorem orationem adferunt. Vnde mirandum non eſt magnopere, dicendi rationem, et eloquentiam, quae in ſe una eſt, in formas adeo varias ſe commutaſſe, pro varia nempe hominum, a quibus culta eſt, indole et habitu. Omnes quidem, quod eſt optimum et perfectiſſimum, appetere ſibi videntur; pauci vero idem aſſequuntur, et qui, quod verum eſt, quadam ingenii felicitate aſſecuti ſunt, ejus uſum, poſtquam traditum eſt, diu retinere nequeunt. Tanta eſt rerum homini cognatarum viciſſitudo! tanta ingeniorum, licet ad omnia excellentium, imbecillitas! Accedit, quod illud ingenii acumen, illa celeritas ad intelligendum, qua per adoleſcentiam praediti, non ea ſemper ratione fovetur,

vetur, quae plana eſt, certa, brevis, aperta; ſed vaga potius multitudine et obſcura prolixitate frequentius debilitantur ingenia. Si, quoad longiſſime mens poteſt reſpicere ſpatium praeteriti temporis, recordamur atque memoria repetimus, qua via, quo ſtudio, ad honoris aedem graſſati ſint mortales; ſi porro diſpicimus, quae minus aſpera et confragoſa, minus difficilis, et anfractibus interrupta quam minimis: Socrates hanc Graeciae felicitatem e caelo devocaſſe apparet: ejus quippe aetas, et quae proxime eandem ſecuta eſt, ſolida hac praeſtantia fuit commendabilis praeter ceteras, ad quas eadem poſtea fuit transfuſa. Naturam, omnium rerum matrem fecundam, quas habet ubertatis vires ampliſſimas, tunc collegiſſe diceres, ut, quos unquam vidit terrarum orbis, aut viſurus eſt, oratores perfectiſſimos eniteretur, Demoſthenem atque Iſocratem, poſt cujus auditores, eorumque diſcipulos, nihil quidquam clarum in oratoribus fuit; adeo ut horum partu ea quaſi effoeta videretur. Atque tum maxime ad eam eloquentia evecta eſt dignitatem, ut dominaretur integris nationibus, Graeciae cumprimis univerſae. Cum enim populi tum maxima eſſet poteſtas, adeo ut penes ipſum fuerit rerum gerendarum arbitrium: cauſſa nulla, quae eſſet gravior, de diis, de ſacris, ſacrorumque miniſtris, de magiſtratibus, de pace, de bello, de vita, de fama, de bonis, de libertate, agitabatur, ſine populi ſuffragio. Hinc paene

F quo-

quotidianae oratorum ſententiae audiebantur in ſenatu, in judiciis, in fori concione frequentiſſima, inter tribules denique, et ſemper aliquid novi ad populum ferebatur: praeter illos vero, qui ipſum ducere poſſent quam artificioſiſſime, in aliquo numero habebatur nemo. Publica hac laude quantam in maximo quoque ingenio aemulationem excitatam putabimus? hanc enim ingenia omnibus horis aluiſſe mirifice, et ingentia artibus incrementa dediſſe, novimus. Multum igitur operae poſuiſſe cenſendus eſt optimus quisque in exercitationibus commentationibusque, ut dicendi illam vim magis magisque excitaret, amplificaret. Videbant enim quotidie, plauſum dari nonniſi illis, qui optime dicerent; nec aliam ad honores graſſandi viam eſſe expeditiorem, dicendi facultate. Quid loquar imagines, et titulos, et ſtatuas, quibus honoribus, et ornamentis, et facultatibus, refertas domos eorum vidit Graecia, qui ſe ab ineunte adoleſcentia cauſſis forenſibus et oratorio ſtudio dederunt? Quid alimenta in prytaneo memorem? quid coronas, quarum gerendarum jus eximiis tantum oratoribus, ac reipublicae probatiſſimis permittebatur, ut non immerito Demoſthenes nulla re alia potius gloriaretur, quam quod ea corona donatus fuerit, quae ſuae et innocentiae, et integritatis, et ſanctitatis, apud aequos et iniquos, eos qui tunc erant, et qui poſt multa ſaecula venturi eſſent, teſtis exiſteret incomparabilis. Hos viros qua tandem ratione ad tantum hoc eloquen-

tiae fastigium penetrasse existimabimus? num sine arte, sola ingenii excellentia, eo pervenerunt? Id vero esset in re aperta minimeque dubia nugari, quod nemo vir magnus sine aliquo magistro, et doctore, qui viam saltem e longinquo monstraret, unquam exstitit. Num aliis, iisque natura et genere et usu disjunctis ab aliorum more praeceptis imbutos fuisse dicemus? Non puto. Restat, ut fateamur tandem, quo magis floruerit vis dicendi, eo polita magis de arte praecepta, magisque perfecta fuisse. Nihil enim in literas referebant, nisi quod multo usu probatum observassent. Vis, auctores tibi laudem? Quid divinius Platone, etiam tum, cum futuri oratoris mentem et elocutionem informat? Quid sapientius Aristotele? quem industria et sagax Gallorum natio, post infinitos multorum labores, quos in hac arte polienda omni studio atque opera susceperunt, et laudare suis hominibus, et lingua quotidiana atque vernacula legendum tradere, non sunt veriti. Quid? agnovere tandem, Stagiritae comparandum esse neminem? Imo resistere et repugnare contra ipsam veritatem non audent: quin potius clare ac diserte confitentur, Aristotelem in perfectissimo de eloquentia opere de arte artificiosissime praecepisse, illudque unum omnium operibus, quotquot adhuc tradita sunt, longe anteferendum esse. Gratulor, Stagirita, gratulor tibi principatum hujus rei, non a Gallis modo, sed ab omnibus, ipsis etiam obtrectatoribus, demum agnitum! Sit Demetrio nihil subtilius; sit

Dionyſio, in quo uno conveniunt oratoria facultas et hiſtoria, ſit, inquam, Dionyſio nihil copioſius ad vitam; ſit Hermogene nihil nitidius; nihil Ariſtide exactius; ſublimius nihil Longino: Stagiritae tamen tantum cedunt, quanto ſolis ſplendori fulgentiſſimo luna eſt inferior. Apud Romanos oratio et perfectum eloquentiae decus ſub principe Tullio erupit tanta vi, ut, licet Grajis regendi pariter atque dicendi artes illa ipſa terrarum domina urbs acceptas referre, non recuſet; earundem tamen gloriam Latini dehinc illis ferme praeripuerint, eoque perfectionis evexerint eloquentiam, ut dubium jam ſit, uter populus, Romanus an Grajus, magis enituerit? uter plures potioresque urbi viros et orbi iſta laude inſignes dederit? Iſtud vero admirationem habet maximam, in tanto hoc oratorum numero, quibus vel delectari, vel quos mirari poſſis, ante Tullii aetatem floruiſſe pauciſſimos; pauciores, qui illam ſecuti ſunt. Et quamdiu eloquentia in urbe viguit, artis quoque magiſtros, ea vidit non contemnendos: numero, ſi quaeris, pauciores equidem. Nam poſt Ciceronem, nonniſi Fabium, quo nemo juris erat intelligentior, nominare valeo dicendi hac arte inclutum. Non ego de laude, Curio Fortunatiano, Mario Victorino, Sulpitio Victori, Aur. Caſſiodoro, Albino Alcuino, et reliquis debita, quidquam detraho; ſint diſerti, ſint prudentes, ſint in aeterna gloria; abundent omni praeceptorum genere; ad communem profecto uſum et intelligentiam et exercitationem non tantum

tum valent, ut in magnis rhetoribus ſint habendi. Igitur non tam hos, quam veteres illos e Graecia Latioque magiſtros venerabantur, quotquot noſtra patrumque memoria dicendi virtute denuo effloruerunt, Trapezuntius, Eraſmus, Melanchthon, Sturmius, Iunius, Strebaeus, Riccobonus, Caſelius, Voſſius, Schraderus, Thilo, Thomaſius, Vavaſſor, Rapinus, pro quanta nomina! Illos, cum ad artem tot ſecum attulerint ornamenta, doctrinam de natura et rebus ſublimibus, morum item, rationis, hiſtoriae, juris univerſi diſciplinas; illos, inquam, putabimus falſa, et quae lubrico aut nullo innitantur fundamento, aliis praecepta ſcripſiſſe? genuinae eloquentiae doctores eſſe negabimus? princeps rei ipſius momentum non attigiſſe credemus? Oratores ex philoſophorum ſcholis prodiiſſe conſtat: et inique feremus, ſi rhetores argumenta ex illis fontibus derivant in agros ſuos, dum futurum oratorem inſtruere ſatagunt, vel id potius agunt, ut incomptam doctrinarum faciem, et ſplendidiorem reddant, et amabiliorem. Veteres bene ac ſapienter ſanxerunt, ad eloquentiae culturam, quae in rhetorum ſcholis ſuſcipitur, idoneum eſſe neminem, niſi qui mentem doctrina de moribus, et officio, et pernoſcendis cujusque ingenii notis, habet imbutam, et rerum atque verborum copia inſtructam. Hanc diſcendi rationem cum immutatam hodie ac perverſam videamus, quid cauſſae eſt, cur culpae alienae ream faciamus ar-

tem, quae culpae vel minimae ſuſpicione remotiſſima eſt? Eloquentiam ab arte dicendi ſejungunt: recte quidem, quatenus altera regiam bene diſcendi viam commonſtrant, qua altera incedit magnifice, et non ſine apparatu ſplendidiſſime deducitur. Quis vero unquam vir prudens et ſolers ſe in viam dedit, qui viae conditiones, et ſigna in eadem poſita, non habeat explorata, ut cavere ſibi noſcat a tramitibus transverſim ducentibus, et ne itineribus deviis proficiſcatur? quis eſt, qui viae neceſſaria non prius comparet, quam eandem ingrediatur? quis toto malit angiporto deerrare, quam recta via proficiſci, quam a tot ſaeculis tritam ſummus quisque orator incedere non eſt veritus. Dicere auſim, paucos ad ſummum perveniſſe, eo quod plerique, quibus in adoleſcentia in ipſo artis limine et aditu aliquando ſubſiſtere contigit, a via recedant, et ulterius progredi deſiſtant, nedum ut ſubinde, quod veteribus uſitatum erat, ad haec ſtudia redeant. Et nihilo minus antiquum obtinemus, et, ſi qua forte hominibus inſunt vitia, ea rebus ipſis perperam affingimus. Vt ad credendum inducamus alios, eo omnia bene dicendi praecepta referri, ajunt; de eo ſolicitum eſſe neminem, verisne an fictis argumentorum viribus pugnemus. En, quo praeconcepta homines perſuaſio abripiat! Vt aliorum imbecillitatem illudant, ipſi ſoli ignorare volunt, quae intelligunt omnes, opus rhetoris utique non eſſe, ut ad credendum

ducat,

ducat, sed ut dispiciat omnia, quae, insita in rebus ipsis, apta inde fluant ad fidem faciendam. In his judicio utatur oportet, et, quasi armilustrium agens, optima quaeque seligat. Ex omnibus si qua appareant falsa, quaeve ad maleficium inducant, tantum abest, ut virum bonum, orator enim nemo est, nisi idem sit vir bonus, firmamentis ruinosis ad persuadendum niti arbitremur, ut potius cavere doceat a pestilenti illorum veneno, si qui forte alii justo dicendi artificio injuste abutantur. Negant illi, argumentorum, quibus oratione fit fides, tria esse genera; unum, quod positum est in moribus dicentis; alterum, quod in eo, ut certa quadam ratione, certoque modo, afficiatur auditor; tertium, quod in ipsa oratione consistit, ut aut demonstret, aut demonstrare videatur. Quae ita explicate et perspicue praeceperunt Aristoteles et Antonius, novi illi rhetores non modo permiscent, sed etiam turbant, dum praeter ea, quae certa, et quae probabilia, non aliud argumentorum genus reliquum faciunt. Fallor: ea si rhetoribus relinquerent, videri sibi possent nimium divites. Iam vero quoniam verba sunt notae cogitationum, uti hae rerum esse signa intelliguntur: res autem animo ac mente concipere, alterius est disciplinae opus: omnem hinc verborum curam huic transcribere non verentur; quandoquidem, cogitationum ubertate sublata, verba quoque deficiant; et argumenta, quae rhetores et oratores sibi tractan-

da

da ſumunt, nulla ratione differre dictitant ab illis, quae vera et falſa dijudicandi ars edocet. Miſeret hominum, in tenebricoſum veluti chaos denuo conjicientium, quae veteres multo labore, et acri judicio, a ſe invicem ſecreta illuminarunt egregie, et quorum fines diſtinctos eſſe voluerunt. Eos cum emendare nequeat virorum in omni arte exercitatiſſimorum, non dicam auctoritas, ſed ſolidior et accurata doctrina, libris ferme infinitis dilucide perſcripta, firmiterque corroborata; quid ſpei tandem ſupereſt, ut aliquando in viam revocentur? Deinde memoriae ſubſidia, quos locos nominamus, repudiant et explodunt, ſcilicet ut eorum, quae rebus inſunt, difficilis foret aut nulla recordatio. Nemo enim quisquam eſt tam firma promptaque memoria, ut his veluti ſignis ac notis non excitandus ſit interdum, et commonendus de iis, quae in oblivionem adducta paene effluxiſſent. Vt taceam, reperiri non paucos, qui ab hac arte vacui, rerum ordinem, quem illa exſerto quaſi digito indicat, miſere pervertunt, ut ſatis appareat, illos quaſi caecos huc illuc errare, et neſcire, quid dicant, et quam bene maleve dicant. Cauſſarum genera, quae rationibus reipublicae tum Athenienſium, tum Romanorum, unice accommodata ipſis videntur, pro ſupervacaneis et inutilibus habent, planeque rejiciunt, quod omnis rerum ſtatus noſtris moribus ſit immutatus: nec vident, homines eſſe homines, quos vel blandiendo et laude delectare atque duci, vel pun-

pungendo et vituperio commonere oportet ac propelli ad ea peragenda, quae honeſta ſunt, quae ſua ſponte, nullis admonitionibus provocati, peragere debuiſſent: non vident, commodis alios, alios incommodis propoſitis tangi, apud judices poſtulari quotidie, illisque probari id, de quo agitur, factum eſſe aut non eſſe, juſtum aut injuſtum, magnum aut parvum eſſe. Quod enim ad generis univerſi vim et naturam refertur, id a ſingulorum natura nullo modo poteſt diſcrepare. Porro quid attinet, tricari in numero partium, quae orationem conſtituant? ſenarium exterminatum cupiunt illi, tres tantum partes admittunt ut neceſſarias, exordium, propoſitionem cum ejus explicatione, et epilogum. At cum perſpicuum ſit, neque cujusquam orationem deſideret, exordium et epilogum, quae duae partes ad movendum adhibentur, nonnunquam a toto orationis corpore abeſſe: nonne rectius omnino feciſſent orationis unicam tantum partem, propoſitionem cum ejus explicatione? duas enim aut quatuor nominare verentur, ne Ariſtotelici videantur, aut Ciceroniani. Verba, ajunt, nemo docet, uti in cogitationes apte quadrare, et rebus congruenter convenienterque reſpondere debeant. Nunquamne auribus perceperunt, in eo ſitam eſſe vim atque efficaciam oratoris, ut verba ſeligat rebus apta, animis flectendis idonea, ut dilucide dicat, breviter, probabiliter, concinne, illuminate, ſuaviter? Pleni ſunt ejusmodi praeceptorum libri, quibus ars dicendi comprehenditur; plena ſcholarum

rum atria; ut copia eorundem cumulatiore potius laborare videamur, quam ut de iisdem, tanquam parca manu traditis, juſtam conquerendi cauſſam habeamus. Quin imo iſtud dolendum eſt, eſſe adeo paucos, qui ſe rhetoribus poliendos tradant. Haec enim omnis ars, id quod a multis jam dictum eſt, nonniſi multa induſtria, ingenti ſtudio, longo uſu et quotidiana exercitatione, quae judicium excitet, bene feliciterque comparatur. Denique ut liberales eſſe videantur, poſtquam ceteris rebus omnibus rhetoras exuere, inquo admodum conatu, ſtuduerunt, verba ipſis reliqua faciunt. Illi ſi ſe novos veniſſe putant, egregius bonis viris error objicitur. Nec inopinata, nec recens de rebus quaeſtio eſt, poſteaquam Plato, Ariſtoteles, Strabo, Tullius, hoc cum maxime teſtificati ſunt, rhetoricam eſſe facultatem ſermonis parandi. Sed iidem, qui praecipuam oratorum curam eſſe dixerunt ac rhetorum, res verbis temperare, immenſa oratione palam ac diſerte pariter dixerunt, id quod omnes ultro agnoſcunt, ex rerum cognitione effloreſcere ac redundare orationem, nec quenquam oratoris nomen tueri poſſe, niſi qui omnium artium ac diſciplinarum notitia excellat, eandemque ad dicendum afferat. Pandorae ea pyxis eſt, unde omne malum, quid enim pejus eſt, barbarie infuſcari? in orbem literatum dimanavit. Errant profecto, errant, qui, quos vetus illa Graecia, quos Latium tulit, viros eloquentiſſimos, artisque callidiſſimos, ſola vocum

ſcite

ſcite tractandarum peritia ſe extuliſſe, ſibi et aliis perſuadere perperam conantur. Non vis nuda dicendi, ſed rerum abſconditarum cognitio, Carneadem, Romanos alloquentem, fecit admirabilem. Nec alia res famae L. Caelii Antipatri magis obfuit, quam quod plus operae impendit, ut diſertus, quam ut juris ſcientia abundans videretur: idcirco enim multis eſt poſthabitus. Nunquam hoſtes peſtiferi tantum mali intulerunt reipublicae, quantum perverſa quorundam perſuaſio, rhetorum artem in verbis conformandis unice occupari: cum res rerumque cauſſas ingenio inſtrui deſideret, judicio perpendi, argumenta invenire, inventa conſtituere, ſuo quaeque loco idonee declarare, nimis redundantem ingenii luxuriem exquiſitiſſimo judicio temperare, nihil temere, nihil ſine examine admittere, quod calor impetuoſus animo objicit. Vt in domo, ſic etiam in diſciplinis, perneceſſarius eſt ordo. Illi ipſi vero, qui inventionis, et diſpoſitionis, et elocutionis praecepta, erroris, ſi poſſent, coarguere exoptant, poſtquam omne virus evomuere, num quid aliud, quod ſit magis concinnum, afferre exiſtimabimus? Vereor, ne in ſuſpicionem veniant, damnari veteres, ne ipſi parum docti videantur. Hei quam diverſa, quam extracta, via ad gloriam graſſantur homines! Ferendum eſſet, ſi quorundam in ſcholis magiſtrorum imperitum docendi modum inſigniter notarent: at dum artem liberius in crimen vocant, eamque ſubvertere laborant, id vero ferendum non eſt.

Audiverat Romae Tullius Molonem, non ignobilem dicendi magiſtrum, cujus inſtitutione tantum profecerat, ut cauſſas in judicio graviſſimas peroraret. Inde Romae partim, partim Athenis, operam dedit ſapientibus ex Academia et Epicureorum ſecta; nec puduit iterum iterumque ſe exercuiſſe, in Graecia, in Aſia, in Rhodo, tum apud alios iſta arte inclutos artifices, tum apud eundem Molonem, ut facultatem confirmaret, quam jam fere erat conſecutus: nec, quod magis eſt, piguit praetorem populi Romani, in ſchola declamare. Caſtigatiſſimam ergo dictionem, qua nihil magis ſolicitum, magis exercitum, dici aut fingi poteſt, ex quo fonte hauſerit, dubitare non poſſumus. Si Siren Attica, ſi Lyſias, ſi Aeſchines, ſi Pericles; quem magnum ex Anaxagorae ſchola prodiiſſe oratorem traditum eſt, ſi Demoſthenes, quem magis reformidabat Philippus Macedo, quam ferociſſima Athenienſium tela; ſentiebat enim majorem ab illius lingua noxam ſibi inferri, quam a militibus armatis, magisque Graeciam defendi, ac firmius in ejus oratione habere praeſidium, quam in armis: ſi reliqui ſummo quondam ingenio, opera, gratia, gloria praeſtantes, iis innutriti inſtitutis, quae ad nos demiſere, hanc lucem denuo adſpicerent; accuſarent inertiam juventutis, quae per inanem calumniam inducta, in otio hebeſcere et languere mavult, nec auctoritate, nec praemiis ipſorum ſe excitare patitur, ad ea ſequenda, quae ad gloriam ſunt maxima. Quaerimus et ſcrutamur ea diligentius,

quae,

quae, omnibus grata et accepta, ſummo ſtudio expeti novimus: et dicendi artem, quam tot viri non ſine maximo ſuo fructu nobis praeivere, quae gratiam conciliat, et a qua reliquae diſciplinae omnes ſplendorem accipiunt atque lucem, ſegnius expetemus? Qui lucta, pugilatu, curſu, ſaltu, diſco, quinquertiones evadere cupiebant, omne vitae ſpatium iis addiſcendis inſumpſiſſe, moleſte non ferebant; et nos gravabimur, exiguam temporis moram humanitatis diſciplinae pernoſcendae tribuere? Illis etiam cum vitae et ſalutis periculo decertare volupe erat: et nos tutiſſima haec, eaque amica certamina, quae victoriam ſine ſanguine, ſine caede, pollicentur, adire detrectabimus? Illorum labor tanto ſtudio ſusceptus, nec ipſorum, nec reipublicae rationibus conducebat: et nos ingentia, quae facundia praeſtat, commoda parvi ducemus? Non enim aliud telum eſt adverſus verae pietatis hoſtes, et reipublicae everſores, et ſingulorum inſidiatores, gravius aut vehementius, oratoria facultate: quam fraudem eſſe hominum ad perniciem, integritatem ad ſalutem, omnes confitentur. Athletae coronam expetebant ex apii ſeu foliis ſeu ſemine, ex oleaſtro, myrto, lauru vel palma contextam, quae longo intervallo amittit viriditatem: et nos ejus gloriae dulcedine non commoveamur, quam nulla unquam oblivio delebit? Quae enim res clarior? quae glorioſior? quae commendatior eſſe poteſt memoriae hominum ſempiternae? Eam ſi oculis cerneremus,

 mira-

mirabiles ſui amores excitaret: quacunque adſpicias, jucunda ſuavitate formoſa eſt; quacunque adeas, dulcis et amabilis. Quid eſt igitur, quod remorari ſtudia noſtra, quod a veterum veſtigiis avertere nos valeat? Qui hos dicendo ſuperarit, adhuc inventus eſt nemo. Illos ergo, qui ſunt optimi, ad imitandum proponamus. Si nemo eſt eorum, quos taedium cepiſſe videtur priſcae ſapientiae, qui non idem fateatur, illius ſe monumentis egregie inſigniterque adjutum: ſi prudentiae eſt, ipſa potius rerum exempla intueri, quam quae ad eorum imagines expreſſa et conformata ſunt; haec enim longius fere abeſſe ſolent ab exemplo: ſi non alia, certe non meliora, noſtris hominibus praecepta comminiſci datum eſt: ſi iidem hodie, qui olim, ſuaſionis loci ſunt; ſi eadem verborum et ſententiarum lumina; ſi denique ſola moris antiqui oblivione ab iſta veteri gloria deſcivimus: agite, o mei, vos enim, commilitones ſuaviſſimi, quorum quam maxime intereſt, mihi nunc eſtis alloquendi; agite, ſatisfacere allaboremus aequiſſimae ſapientiſſimaeque voluntati Clementiſſimorum Illuſtris Iuliae Nutriciorum, ſequamur alacres, et, quantum licet, preſſo pede omni diligentia enitamur contingere priſcos illos et ſentiendi et dicendi artifices; ſed ita, ut, quae in rhetorum noſtro hoc aevo clariſſimorum commentariis perſcripta ſunt, et a vera antiquorum diſciplina non longe abſunt, aut quandam illi lucem foenerantur, ne contumaciter aut inhumane praetereamus, nec arroganter rejiciamus.

Nunc

Nunc ſupereſt, tot tantisque commodis quum frui liceat DEI O. M. beneficio, et nutu indulgentiſſimo Sereniſſimorum Potentiſſimorumque almae Iuliae Nutriciorum, ut maxime illuſtris et ampliſſimae benignitatis magnitudinem grati agnoſcamus, et gratias, non quas debemus, ſed quas poſſumus, demiſſiſſimo animi cultu agamus. Potiſſimum itaque ſupplex veneror aeternum Numen, quod, eloquii auctor, in lingua explanatam vocum impreſſionem dederit, eoque mentis acumine hominem inſtruxerit, ut laudes ejus luculenter fari ſciamus. Tuum eſt munus, alme DEVS, ut praeſtantiſſimis dicendi magiſtris uſus, bonarum literarum cognitionem qualemcunque acquirere: tuum eſt, ut difficultates, quarum nec parvae, nec modicae, in ſtudiorum meorum itinere omnes moras interponebant, tuo ſolius praeſidio munitus, feliciter ſuperare potuerim. Tuum denique eſt, nec ſine ſingulari providentiae Tuae nota contigit, ut, cum mihi non amicitia, non conſuetudo, non uſus intercederet cum quoquam uno harum regionum habitatore, ad hanc, quam tuis nunc auſpiciis adgredior, provinciam ſim deſtinatus. Age, pater benigniſſime, infige altius menti meae, eam demum eſſe eloquentiam veram ac genuinam, quae ad majeſtatem tuam ornandam celebrandamque confertur ab illis, qui nulla in re ab religione officii declinant. Porro concedas, rogo, ingenii et corporis vires integras, quibus, te clementer dante ac impertiente, adhuc bene valentibus

tibus

tibus uſus ſum: laboribusque, te duce et auſpice ſuſceptis, propitius adſpires, quo commilitonum chariſſimorum pectora, qui theſaurus eſt docentium inaeſtimabilis, in poſterum quoque poſſideam, ſicque tuo auxilio fretus, utilem ac ſalutarem reipublicae operam navare queam.

Deinde et Vobis, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principes, Iuliae veſtrae Nutritores munificentiſſimi, Domini clementiſſimi, gratiae ſunt agendae et habendae, quantas mente concipere poſſum, maximae. Immenſa enim exſtant veſtra in bonas literas, et in me immerentem merita, quovis elogio majora. Ea auguſtae Guelphorum genti laus fere propria eſt, quod in praelio et bello, dum armorum gloria et virtute non terras ſolum per Europam, Africam, Aſiam, ſed mare etiam implent, excelſo loco provideant, ut ſuus literis conſtet honos, ſuum decus. Pro veſtra humanitate, viris principibus digna, qua omnibus facillimos vos praebetis, permittatis, quaeſo, clementiſſime, ut, cum promerita veſtra multo illuſtriora eſſe et majora ſentiam, quam ut verbis et oratione aſſequi confidam, ea nunc quidem venerando ſilentio, admiratione obſtupefactus praetercam, et pro perenni potius incolumitate veſtra Deo vota faciam.

Rerum omnium dominus ac moderator TE, GEORGI, rex invicte, libertatis publicae ſtator, adſertor, conſervator, ſervet ac tueatur, ut invidorum machinas, inimicorum inſidias, hoſtium tela, provido ſemper conſilio labefactes, deſtruas, et quos inimi-

inimiciſſimos eſſe ſaluti publicae, omnes boni dolent, recte faciendo, *in recto* enim *decus* eſſe, optime ſapientiſſimeque ſtatuis, concutias, frangas, vel potius, quae ſumma eſt votorum Tuorum, ad tranquillitatem traducas, populum fidelem pace conſtanti regas, excelſum decus regium, ad quod Tua Te virtus et jus evexit, laeta annorum ſerie tuearis, felices Henrici III et Ciſſae, praedeceſſorum Tuorum, annos, iisdem felicior, aeques aut ſuperes, fata ipſis benigniora habeas, et nonniſi aeterna gloria circumfluens, filio ac nepotibus, virtutum paternarum effigiem ſimulacrumque ſervantibus, regnum undique pacatum et tranquillum poſt plura demum annorum luſtra committas.

Te quoque, AVGVSTE VVILHELME, Academiae Iuliae Rector hodie magnificentiſſime, ſervet idem ille benigniſſimus univerſi hujus parens, ſalus vitae noſtrae; ſervet Te, patrem patriae indulgentiſſimum, principem pium, juſtum, felicem, civium ſubjectorum amorem et delicias, in quo collectas miramur virtutes, quae cum in majoribus Tuis ſingulae fulgidiſſimo ſplendore eniterent, omnibus admirationem maximam moverunt, omniumque oculos ac mentes ad ſe attraxerunt. Faxit, majora indies auguſtae fortunae incrementa capias, auctoritate et potentia, qua in Imperio Romano-Germanico, et apud exteros quoque reges, egregie polles, opibus item et armis auctus, ſemper vigeas, et quemadmodum pietate, juſtitia, prudentia, ceteriſque virtutibus, quibus glorioſiſſimae me-

moriae avus tuus, AVGVSTVS vere auguſtus, nomen ſuum aeternitati intulit, Te ſupparem veneramur; ita integro ſanitatis vigore totidem, aut plures etiam, aetatis annos numeres, quibus ille cunctos ſui temporis in Germania principes ſuperavit, ac patriae commodo, ex Tua enim ſalute noſtram pendere perſuaſi ſumus, diu ſuperſis quam feliciſſime. EXAVDI, DEVS, VOTA MEA, AETATEM AETATI REGIS NON MINVS, QVAM DVCIS, ADIICE, VT EORVNDEM ANNI PERPETVENTVR SAECVLIS!

Denique largiatur Vobis, Patres patriae, fidos ac prudentes rerum gerendarum adminiſtros, illorum non diſſimiles, qui omnium moderatores conſiliorum providentiſſimi, ſaluti, et incolumitati, et gloriae principum ſuorum, et terrarum Brunſuico-Lunaeburgenſium utilitatibus, conſulunt ſapientiſſime. DEVS vos, patres purpurati, utriusque aulae proceres, heroes toga et ſago excellentiſſimi, omni invidia ſuperiores, rebusque humanis diu ſuperſtites eſſe jubeat.

Ad Te, *Magnifice Prorector*, mea ſe nunc convertit oratio. Tibi cumprimis publice atteſtor eximium, quod mentem occupat, gaudium, quod, Te inclutam hanc Iuliam moderante, in ampliſſimam Patrum conſcriptorum ſocietatem receptus, primas muneris mandati partes peragere potuerim. Praeclara ingenii Tui laus, quae univerſo literato orbe percrebuit, me quoque ad Te colendum et obſervandum mul-

multo ante invitavit; jam vero, cum Tua haec praeſentia humaniſſimam illam comitatem, qua me adhuc complecti voluiſti, mihi perpetuam ſpondeat, amantiſſimeque confirmet, penitus toto pectore Tibi me addictum habes. DEVS te quam beatiſſimum eſſe velit, et rebus ſecundiſſimis utentem conſtantiſſime defendat ac tueatur!

Nec minus veſtram benevolentiam, *Ampliſſimi Senatus Academici Patres Conſcripti*, erga me toties perſpectam, et nunc denuo honorifica veſtra praeſentia comprobatam, fore ut mihi perpetuam eſſe ſinatis, ſpe certa ac fiducia firmiſſima erigor, quum veſtrum omnium is ſenſus ſit et conſenſus plane mirificus, ut bonis, quas docere juſſus ſum, literis non ipſi tantum ſapientiſſima pectora habeatis imbuta, ſed et commilitonibus noſtris auctores exiſtatis graviſſimi, ut pretium eisdem aliquod ſtatuant, et jucundiſſimo hoc ſtudio, ex quo fructus redundant in omnem vitam, ne ſe ipſi maximo ſuo cum detrimento defraudent. Quibus gaudiis me exultaſſe creditis, quum tot ſtudiorum et conatuum benevolos auctores adſcriptoresque numerarem? Exiſtimabam, me ad Chytraeos, Calixtos, Muſaeos, Mynſingeros, Borcholtenſes, Hahnios, Meibomios, Conringios, Pegelios, Reineccios, Caſelios, veniſſe. Quo minus in me eſſe ſentio, quibus veſtris in me meritis reſpondere valeam; eo magis in vobis eſſe intelligo, quae praeclare omnibus commendata intuear, et

ad imitandum mihi proponam. Neque in posterum quidquam mihi erit prius, nihil quidquam antiquius, quam candore, qui ingenuum decet, grataque virtutum veſtrarum veneratione, ut placere vobis pergam, obſervantiam vobis debitam et ſincerae amicitiae jura ſancte colam, et quicquid officiorum promptitudine valeo, id omne veſtris commodis lubens meritoque conſecrem. Quod ſupereſt, proſperitatem omnigenam, et fauſtos cumprimis laborum ſucceſſus, vobis apprecor, ſupremum vitae auctorem flagitans, ut magno Academiae hujus bono ad ſeros uſque annos vos omnes ac ſingulos conſervet. Vivite, ut bonae artes vivant. Vivite, ut ſera aliquando poſteritas vos vixiſſe glorietur!

Vos denique compello, *Commilitones* generis virtutumque nobilitate ornatiſſimi, patriae ſpes, publicae felicitatis pignus, deliciae noſtrae. Cognoviſtis, quos viros praeeuntes habeamus, ut difficile non fuerit, nec grave, ſuaviſſimos amoenitatis hortos ingredi, ubi, quicquid eſt florum, quicquid deliciarum, colligere, et in futuros uſus ſeponere licet. Invitat vos aetas veſtra, quae, cum ingenio et memoria valeat, commodiſſima eſt, ut dicendi exercitationem cum reliquis artibus ac diſciplinis conjungatis. Invitat amor noſter, qui, quicquid vel optimorum auctorum lectione, vel attenta meditatione, cognitum habemus, id omne vobis parat, vobis dedicat. Invitat patronorum auctoritas, quae omnino provoca-

vocare ſtudia veſtra debet, ut abundare cupiatis praeceptis bonarumque artium inſtitutis. Invitat ſalus veſtra, quum haec ſtudia ſeverioribus diſciplinis amico nexu copulata, omnium temporum ſint, et aetatum, et locorum, nec unquam veſtra eſſe deſinant, ſi ſemel coeperint. Invitat literarum dulcedo, et dignitas, quae ſola, ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, vos commonere poteſt, ut in illis animi remiſſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam quaeratis. Apertae ſunt fores; viae tritae; nulli anfractus; quod ſi praeter opinionem in quosdam incurriſſe vobis videamini, et ducis et comitis officio fungar. Quicunque ſedulam ſocietati hominum aliquando navare operam, et vel ad reipublicae clavum ſedere cupitis, vel divina in ſacro codice perſcripta eloquia populo ediſſerere; huc adeſte, quaeſo, frequentes, alacres, conſtantes; arti addiſcendae, quae honeſto adfert condimentum, et ad honores viam pandit, aliquod tempus tribuite. Quod ad me attinet, efficiam profecto, ut nec vos ſtudii in eam rem poſiti, nec me poeniteat conſilii. Veſtra commoda, mea erunt, in quibus conquieſcam; imo et rebus, et utilitatibus, et delectationibus meis quibuscunque, ſemper erunt potiora et cariora. Adſpiret coeptis noſtris divina gratia, ut illuſtri Iuliae glorioſa, vobis ſalutaria eveniant feliciter!

Ex legibus ordinis philosophorum illustris Academiae Iuliae.

Lex I de lectionibus

§. V.

Cum autem haec ars (*rhetorica*) a sophistis corrupta sit, dabit operam (*is, qui illam docet*,) ut ingenuitatem, nativamque formam ejus, docte et erudite explicet, perplexis sophistarum nugis nervose refutatis: praecipue autem rhetoricam, quam adsentatoriam calumniose adserunt sophistae, certis et solidis rationibus tuebitur, ac quae Plato in Gorgia, in sophista, in libris de republica, et alibi differit, ubi rhetores pariter atque poëtas civitate pellendos sancita lege constituit, auditorio debita brevitate et dexteritate explicabit.

* * * * * * * * *

PLaudite, Pierides, limatum dicite carmen,
Et nunc ſedula opus perfice turba tuum.
REVSCHIVS, in cujus regnat facundia lingua,
Et ſacra qui Themidos candidiora colit:
Cui praeſtans virtus, cultae et ſapientia mentis,
Dant volitare dehinc docta per ora virum:
Cujus in egregio fixam ſibi pectore ſedem
Alma diu cepit conſtituitque fides:
REVSCHIVS inſtituit muſis te chara juventus,
Vt gravia eloquio jungere jura queas;
Et docet auſonidum celebratas volvere chartas,
Quilibet ut plano tramite carpat iter:
Muſae quem genitum Ithéſiis aluere faventes:
Foviſtique tuo, Norica terra, ſinu,
Sidere felici venientem mactat honore
Guelphorum illuſtris Iulia, vota ferens.
Plaudite, Pierides, laetae adſpirate canenti,
Vt bona verba pius non minus ipſe feram:
Gratulor hos, VIR docte, TIBI laetatus honores:
Vsque TIBI vegeto cuncta ſerena fluant.
Gratulor et nobis potius, quos imbuis arte,
Quae regit ars homines, quae placet ipſa DEO.
Euge, animo TIBI toto, et magna voce precamur:
Sis hominum alter amor, deliciaeque Dei.

Celeberrimo Viro, ERHARDO REVSCHIO, Profeſſionem Eloquentiae in Academia Iulia exordienti, pietatem atque obſervantiam ita teſtari voluit

HENRICVS ANDREAS KOCH.

Cum quas ornarat pulcre, relinqueret oras,
Inclytus Elmiadum doctor, BOEHMERVS; amoenam
Hannoveram tendens, ubi divum sede locandus
MOLANVS, cleri praeses, venerabilis Abbas,
Mox deponendos ipsi servabat honores:
Iulia tunc merito, stetit acri fixa dolore,
Tam celeres docti capitis conquesta rapinas.
Non aliter luxit, quam quondam fulmine saevo,
Dejecto Phaethonte, jubar querebatur ademtum
Mundus, et in toto quidquid comprenditur orbe.
Nunc autem tristis depellit nubila luctus:
Nam rediere diem spargentia lumina musis,
Dum venit optatus, quem Noris Francica misit,
REVSCHIVS, excultae splendorque decusque Minervae,
REVSCHIVS, in doctis quo non praestantior alter
Commovisse viros blandae moderamine linguae,
Quemque adeo celebrem summae ad fastigia laudis
Fama vehit, totoque facit clarescere Pindo.
Ergo utinam TE quid dignum, VIR maxime, linguae
Concepisse queant, resonent et vocibus ora
Magnificis, et nostra ruat per pectora Phoebus.
Sed mea vel numeris certent si verba Maronis,
Plurima cum linguis essent et pluribus ora:
Non tamen idcirco complecti singula verbis,
Omnia nec laudum percurrere nomina possem.
Tu tamen, o faveas, nostris, VIR docte, Camenis,
Respiciasque bona, mentes TIBI, fronte, dicatas:
Sis bonus ac felix nobis, quo, TE duce, tandem
Optatam liceat studiorum tangere metam.
TE DEVS omnipotens, celsi TE rector olympi,
Protegat, ac duplicet mentis sortisque vigorem.
Rideat usque TIBI vultu fortuna sereno.
Cornicibus surgant semper TVA vota sinistris.

Academiae Iuliae, de VIRI Amplissimi ac Celeberrimi, ERHARDI REVSCHII, Professoris Eloquentiae ordinarii, auspicatissimo adventu maximopere gratulaturus, seque IPSIVS propensae voluntati commendaturus, scribebat

IOANNES GERARDVS VVAGNER.